Universitätsbibliothek Paderborn

# ENCOMIVM RVBII LONGIPOLLI || APVD LIPSIM IN ERRORES QVOS || PVERILITER COMMISIT ADVER||SVS VVITENB.||

Ferrarius, Johannes

[Wittenberg], [1519]

VD16 E 882

urn:nbn:de:hbz:466:1-32621

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Positiones de indulgentiis
Sermo de penitentia
Resolutiones disputationum de indulgentiis
Ein Sermon von dem ablass und gnad
Verlegung [illegible] sermon
Ein freyheit Sermonis Martini indulgentiarum
ala Silvestri prieratis contra conclusiones Martini
Responsio Martini ad dialogum Silvestri
Replica Silvestri
Acta Martini Augustensia
Disputatio Ekii & ipsius Martini in studio lipsensi
Disputatio & excusatio Martini contra criminationes Ekii
lipsensis [illegible]
~~Oratio Mosellani~~
De ratione disputandi oratio Mosellani
Erasmi Epistola ad ducem Saxonie & alia quedam
Resolutio super propositione de potestate pape
Alia resolutio de eadem per [illegible]
Resolutiones super propositionibus lipsie disputatis
Oratio Jo Langii [illegible] disputationis lipsensis
Disputatio prima Ekii & Carlstadii de verbo ad verbum per notarios excepta
In uno libro — Disputatio secunda eorundem
Disputatio tercia Ekii et Martini
Epistola Philippi Melanchtonis de eadem disputatione
Excusatio Ekii contra epistolam Philippi
Defensio Philippi contra Ekium
Contestationes [illegible] a [illegible] Cellarii
Epistola Emseri ad Aegocerontem
Ad Aegocerontem Emserianum Martini additio
De venatione lutherana [illegible]

Solutiones doctorum wittenbergensium
[illegible] Vniuersitatis Wittenbergensis &
[illegible] lipzensis & alia quedam
Contra malignum Jo Eckii Iudicium
Ad Jo Eckium Epistola Martini super expurgatione Eccianae
Appellatio Martini luthery
Appellatio pauslen

Liber primus opusculorum Martini luther

Th. 6116

ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

Vgl. Harrassowitz [illegible] Katalog 328.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

¶ Pauſanias non ignobilis adoleſcens cum Her
moclen percunctatus eſſet / quo nā modo clarus apud
poſteros euadere poſſet. Atque is reſpondiſſet ſi illuſtrē
aliquē virū occidiſſet/ fore vt gloria eius ī ipm redūdaret
continuo Philippū regem occidit / vt quam virtute non
poſſet/ parricidio famam pararet / adeo infelix multorū
conditio eſt/ vt dū nullū virtutis ſuccum inbiberint/ ſola
venena expuant. facile quidem in aliū queq; bonum gra
ſſatur qui ſibi ipſi non parcit/ qualis procul dubio vnus
mihi Rubius viſus eſt. homo tante obſcuritatis/ vt nec
matri ſue admodū conſtet/ ſic terram amat/ ſic preter ho-
minis naturā/ tenebris ſeſe inuoluit. Et mirū quis primo
Rubiū dixerit: cū nihil rubeat/ quicquid enī ineptit/ fin-
git/ quicquid tandē mētit nihil rubet/ nec frontē illā im-
pudentiſſimā pluſquam Marpeſia cautes tranſmutat.
Adde qd ſe Longipollū (dij boni quo troncħis dignam
vocē) cognomēto fortaſſis appellat. Sed cur nō Longi
nū: cum adeo longam orationē habeat/ vt citiꝰ Thome
concluſionū quam illius finem reperias. Et ſi talis hō
qualis oratio (vt prouerbio vtar) vix Atlas et Hiperborei
mōtes quālibet ſpacioſi Longinū hunc vnū comprehē-
derint/ tam enī mihi ignotus quā cui nunq; viſus. Sed
dictiōe ſua (qua plurimū balbutit) facillime internoſcen
dus. Ingenij quoq; vis/ et nature quidē habitus ex ora-
tiōe cuiuſuis pēdet/ ſic ſtultū ſermo nō ſecꝰ hedera ac expē
ſa vinū prodere ſolet. Quo circa nemo bonus mihi ſuc-
cenſeat/ ſicubi Rubiū meum ſola oratione exploratū ſuis
coloribus ſed longe modeſtioribus quā par eſt/ duxerim/
At diſperiā ſi non Horatianum equum effingere mallem
(licet Nemo ſim qui tamē omnia poteſt) quā hoc vnū
monſtrū tam horrendū vt nec Aphrica informius ꝓduxe
rit/ adeo in nulla ſibi parte quadrat/ in nulla ſibi cōſtat.
Et q̄ ſingula ordine cenſeātur/ quis tam nihil vnquam
effecit qui nugarū ſuarū patrocinium non emēdicaret:
Hac temeritate inductus / ad optimū preſulem Herbipo-
litanum ſcribit / ob id credo vt ſub magno Principis ti-
tulo latebras mendacia inuenirent cum tantum abſit ab

Rubius obſcurus.

Rubiꝰ nihil rubet.

Longipollꝰ ſeu longinꝰ

Qualis hō talis orō.

Stultum ſermo ꝓdit.

Indignæ ſūt Epiſcopi titulo nugæ Rubij.

integerrimo Antiſtite vt nenijs illis moueatur/ quantum
bona ſtudia prouehere ſolet. Quare aliū Rubius patro-
nū nugarū ſuarū q̄ſiiſſet quib⁹ nec tōſores horā collo-
cauerint/ adeo ſine ratiōis ductu/ ſine puerili obſeruatiōe
in magnū ſophiſtarū periculū emittuntur. Attamē ſunt
qui applaudunt et boni principis patrocinia inclamāt/
cui vt nihil ingratius contingere potuiſſet/ ita mēdacijs
patronū inuocare quā impudens ſit nemo nō nouit/ tot
nam extant ſcurre/ ſophiſte/ machine huius capita/ q̄s
et patronos miſer Rubius delegiſſet p̄terito Antiſtite qui
tam alienus a nugis illis abeſt vt a nullo non ſano ma-
lit reprehendi quā ab vno Rubio laudari/ longe minus
inuocari. Sed hec miſſum facio/ plene hodie ſunt princi-
pum aule ſcurris/ et ſine cerebro hōibus/ quibus tu bone
Rubi adeo ſponte occurris/ vt te mox oīm ducē et ante-
ſignanū conſtituas. Ad orationis filū rei noſtre ſummā
progredior/ nam alterā partem qua Wittenbergeñ et doc-
tores et Tyrunculos natiua ſua impudentia inceſſit/ lu-
bens preterio. Vbi quam vera cōmentus ſit/ nouerit ipſe/
Sophiſte. nouerunt et Sophiſte ſui/ quorū animo diu fermentum iſt-
hoc decoctū eſt/ vt haberent qui ſurgentibus literis/ ſi non
obeſſe tū inſultare poſſint/ nec in hoc decepti duos ſiqui
Cellarius hebraicarum literarum professor. dem inuenerunt cuiuſlibet impudentie precones. Cellariū
quendam qui dū Hebreas literas apud Lipſenſes ingenti
tituli ſtrepitu profitetur/ nec dū latinas didicit. At de ora
toria virtute. Aſinus ad lyram/ dijudicare laborat/ cum
Proueho verbi preteritū ignoret. Quis enī vnq̄ȝ proue-
Cellarius latina præterita ignorat. hiſſe/ preter Cellariū Hebraicū illud caput/ dixit. Et mi-
rū quā grecizare ſoleat. Jam Syncophantias/ αντι της
συκοφαντιας et συκοφαντισθαι / pro συκοφαντειν/
monſtra verborū proferens/ homo/ cui nec tantū cerebri/
quantū muſce piguedinis adeſſe queat/ et tamen mirum
eſt quā ſibi canat/ quā ſeſe vel nullo adiuuāte ſcabat/ vt-
pote qui apd̄ Eraſmū neſcio quot ſalis modios deſump
ſerit/ tū Capnionē ab eruditiōe habuerit/ cum neutrū (niſi
a tergo forte) conſpexerit vnq̄ȝ. Sed huic Encomiū ſuū
et illud dignū preparamus/ vti diſcat/ non boni eſſe viri/

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

a tergo vituperare/quem coram laudaueris/id quod Cellarius ineptiſſime pōt/cui nihil ita promptū/vt veritatē impudenter obſcurare. Interim tamē in dulci Sophiſtarum ſuorū complexu quieſcat/ donec excitatus vltra citraqꝫ iactetur/cūctiſqꝫ eruditis in riſum exponatur. Supeſt Rubius oīm infantiū infantiſſimus/ qui dū nulli ꝓdeſſe poteſt nemini non nocet/ vſqꝫ adeo Sophiſtarum ſimilis/ vt ex ipſis natū conſtet/ tam nulla hōi ratio eſt/ tam nulla eruditio/et mirum ſi Sophiſte aliū doctiorem non habēt/cui Prouinciā iſthāc ſugillandi cōmitterent. vel puerilibus regulis infantem prius inſtituiſſent/quam ſic ludibrio cunctos exponeret/non pro Helleboro ad Anticyras/ ſed in triuialem ludū relegandus vbi inter pueros reſipiſceret. Quorſum attinet/nihili hominē tot auditorū incuria ob quorundā inuidiam propalandam/ in publicum moliri? ſatius ne fuiſſet bonos Theologos hoc vnū monſtrū intra ſua limina continuiſſe? aut pro ſua ſimplicitate (qua plus q̄ꝫ ſeſquichriſtiani eſſe volunt) negociū melius attentaſſent vt verioribus ſcriptis inuidia aliquanto inuolueretur/cuius tamen genuinū eſt/ non diutius latere/ ſed vtcūqꝫ virulenta tela in quēqꝫ bonum detorquere/quicquid enī virtute aſſequi non poteſt/ importunitate conturbat. Quis enī Rubiū leſit? quis in ſycophantias pellexit? libera Wittenbergeñ docto: cū Eckio diſputatio fuit/nihil cum Rubio. (quod nouerim) actū nihil cum Sophiſtis oīs eruditionis hoſtibus/et tot ſuborjantur ſcurre qui amota verecūdia in ſolos Wittenbergeñ et totam fere ſcholam impudentiſſime rapiantur/ et ſi maledicere tanti nunc eſt/ ipſis quoqꝫ fenum in cornu eē ſcito/ qn̄ Eckiū aut mimo aut obſtrepere mulieri poti⁹ q̄ꝫ Theologo cōferrent vt qui in ſophiſticis diſceptatiūculis enutritus/ſolo clamore/ſola vincēdi libidine/cuiq̄ꝫ ſe opponeret/non in Chriſtiane veritatis experimentū/ſed in glorioſā viriū/ oſtentationē qđ quantū a Theologo abeſſe oporteat/ vel tonſores ſciunt. Haberent quoqꝫ in Sophiſtas quod ſpargerent/quibus oīne ſtudiū eſt ſurgentes literas impedire. Eckianam camerinā mouere nō

Cellarius ut Vuittenbergeñ ineptit.

Rubius infans.

Noch zwick vff dye ſchleyff möll.

Theologi.

Ecki⁹ obſtrepere mulieri cōferendus.

Sophiſtę Eckium quare defendant.

vt īgenijs cōſulāt/ſed ſua ſomnia a teteris annis ibibita
ptinaciter defendāt. At Chriſtianā religionē hec nuſq̄ʒ nō
ledūt/ conſulti⁹ igitur māſuetudie id cōficeretur/ qd cōui

Rubeat Rubius.

cijs deterius fieri ſolet/ Rubeat ergo rubicūdulus Rubius
a q̄ tantū abeſt vt hoiem preſtet/ quātū verecūdiā pſtitu
it/ cuius ſtultā ſtultitiā hinc dignoſcere potes q̄ in alios
ſcribere parat qui nec verbū verbo adiūgere didicit/ adeo
nullus orōnis ductus eſt/ nulla ceſura/ vt neminē puerū
apd Hallenſes sciā (mō literas didicerit) qui non aptius

Rubi⁹ oīni puero idoctior.

cūcta et felicius retuliſſet. Proinde ordinē rei quē natura
alioq̄ bubulcis oſtēdit/ ſic interturbat vt diſceſſū pri⁹ fere

Rubi⁹ ordinem orōnis ignorat.

Vuittenbergenſiū quam aduentum turpiter mentiatur.
Atqui diſperiam ſi homo infelix noſcit quis digitorū in
manu ſua prior ſit/ quid interſit inter caput et clunes. Ni
hilominus ignoranti hac ſua ignorantia bonū quenq̄ʒ

In ſingulis vbis Rubij error eſt.

turbare ſtudet. Non nulla igitur (nam oīa non poſſum
niſi ſingula verba reijcerē) ex puerilibus erratis recludā vt
ſciat poſteritas peſtilētiſſimū Sophiſtarū gen⁹ adeo in

Importune Sophiſte.

fans/ adeo importunum/ vt dum inuidiam detegere velit
ignorantiā ſuam prodat. Subinde preconis ſui Encomi
um audiat. Ex paucis enī ſcholijs reliqua mōſtra quiſ

Ignorat Rubi⁹ q̄ pueri ſciunt.

q̄ʒ bon⁹ lector pēſitauerit/ ab exordio nugarū Epiſcopo
adulatus/ dicit (magis meliora) dij boni quot verborum
portenta paucis admittit/ ſciūt oēs pueri vel trimi/ duos
cōparatiuos ſimul iunctos vitiū eſſe non orationē/ ſed
figuris te vſum dices/ ſi vitia tibi figure ſunt/ non eſt vnū
verbū per totā orōnem tuā/ quin figuram/ hoc eſt vitiū

Rubi⁹ vocū cōpoſitiōes ignorat.

et ingens monſtrū habeat. Et mox (rem p gratiſſimā)
diſcas bone Rubi/ p/ non niſi poſitiuis adiūgi/ ſic Cicero
hoēm p adoleſcentē/ Pompeiū vocat/ de q̄ re ſi minimū

Rubi⁹ a pueris erudiēd⁹

puerū cū ſophiſtis tuis conſuiuiſſes/ iādudū ſcires. Pro
inde (ſed quoq̄ʒ etiā) et q̄ verba mutentur (ſed et etiā) mul
toties inculcat/ o lepidū os/ o ſermonē tali pcone dignū/
quo oēs edituī meliorem vel ex tpe protulerint/ adeo in
eptit qui ſibi non conſtat/ et adhuc centū linguas ſibi op
tare audet/ que ſi eſſent tā ingens linguarū craſſicies cō
portaretur/ vt centū ruſticis quālibet vaſis pro clunib⁹

integro anno extagēdis ſufficere poſſent. Simili artifitio
ſubiūgit/neſcio quē Almanach/vt ita dicā (Per Eckius
intellige Eckius) mirū ſi nō muſcā intelligeres p Eckiū.

Per Ecki⁹ in tellige Ecki⁹

Hoc vnū habes qđ ſophiſtis tuis acceptū referas qui
iſtiuſmodi anilibus nugis non tā tēpus quā bonos iuue
nes pdunt. Quis em̄ Sophiſtarū aliud dicere pōt quā
iſtud (licet nec bn̄). Poſtq̄z autor determinauit de hircis/
cōſequenter determinat de capris/ratio ordinis eſt/ quia
barbata precedūt/aut tale. Poſtq̄z autor determinauit de
ſupponibilibus cōſequenter determinat de exponibilib⁹ et
primo facit duo/et p primo ſupponit quattuor/primum
tāgit ibi. Qm̄ quidē/ſcđm tangit/ ibi/Poſt vbi vero ꝛc.

Dictio Sophiſtarum.

Hec eſt eruditiōis ſumma in qua tot bona ingenia/tot li
berales indoles depdimus/cui vnā horam collocaſſe de-
terius nocet/quam ſi decē ludendo deſumpſeris. Haud diſ
ſimilis farine eſt (Eckiane cōclusiones Chriſti nitebātur
patrocinare fidē/quā anteceſſores quoqꝫ parentes pie in
mētib⁹ tenaciter tenuere) noua vt video linguarū obſerua-
tio inter pnitioſos ſophiſtas/ iuuenū eruſcatores nūc tā
dem emergit/mirū quam Rubius ſuus eſſe deſinat/ dum
de maiorū fide diſſerit/ qui nec dū patrocinor verbū dtis
adiungi didicit. Conijcere tn̄ facile poſſum vn̄ acetū il-
lud imbiberit.

Error Rubij puerilis.

Monachū franciſcane factiōis apđ Lip-
ſenſes/tūc tpis audiui/minorē quidē/ ac id adeo vt nihil
minus eſſe queat inter alia nec a Themate ſuo intellecta/
magno ſtrepitu ad teſtari/ſe hāc fidē ppetuo obſuaturū
quā maiores ſui habuiſſent et mox quorundā cōtiones/
quam bone Jeſu Chriſtianas/deſuadere cepit/qui noua
ſtudia/nauā fidem/ et neſcio ſi etiā nouū deū cū ingenti
pietatis iactura diſſeminarent. In hūc modū fraterculo-
rum hodie genus/ Chriſtianam gregem erudire ſolet/ vt
quicquid purā ac ſyncerā Chriſti doctrinā redolet tāq̄z
hereſis aboleat/ pductis aliquot aut Monachorū aut
Sophiſtarū ſomnijs/q̄ et ſacculos illos multis pnicio-
ſos impleant/ et vitam illam ſuperſticioſam/ ſimulqꝫ
Franciſci aut Dominici prodigioſum cucullū commē-
dent/Proinde mirum eſt/ quā ſibi illis nugis dū blandiri

Monachus Franciſcane factionis.

Eruditio Sophiſtarum.

volunt/plus quã ferme Pauli celũ vindicent/ nihil voci-
ferantes preter Ariſtotelẽ/ Franciſcũ Maronem/ Thomã
de ente et eſſentia/ aliaq3 id genus monſtra/ vt piaculo ſit
Euangeliũ ſemel citaſſe. Eadem verecũdia lepidũ caput
deſumma diſputationis indicat. Quis ( inquit) morta-
liũ non credit Papam eſſe caput iure diuino conſtitutũ?
ego diſperiã ſi credo/ attamẽ mortalis ſum / niſi cucul-
Cucullati adulatores. lati adulatores ius diuinũ conſtituãt/ et hanc ſolam au-
toritatem quaſi pilã per manus captent/ quũ hodie q̃q3
audent damnare/ quodcunq3 impoſturis eorũ p̱ tranſ-
verſum digitũ obuiat. Hinc illas ſententias in nulla ſcrip
tura nõ certas/ hõ ſemp̱ peccat/ reſipiſcẽtia igitur nuſq̃3
non eget/ haud ſecus ac lupũ abhorrent/ ne et ipſi parũ
Pietas prodigioſa. pij alijs viderentur vbi ſanctimonie ſue quãlibet modicũ
detraherent/ faceſſat impia iſthec pietas/ qua cũ plus q̃3
beati videri volumus/ infeliciſſimi ſumus. Ad Rubium
meũ reuertor/ qñ Vuittenberg: ſatellites appellat/ eos opi-
nor/ qui ad nouũ diſputationis Theatrũ ſpectatores ac-
ceſſerant/ et rectius contigit nomen quam ipſe putaſſet.
Quid eſt quod tm̃ inſectatur qui ſtudij amore et rerum
damno iter iſtud arripuerunt/ et tales ſeſe oſtendunt ſatel-
lites/ taleſq3 literarũ cõmilitones vt null⁹ eorũ ſit qui nõ
rectius de bonis literis mereatur quã om̃es Rubiani ſo-
phiſte tam literas amant/ tam optima amplectãtur/ illi
Exhibitio in preceptores. ſunt/ qui preceptores ſuos tanti eſtimant/ vt non ſolum
Lipſim ſed in quodcũq3 diſcrimen ſequi vel ſponte aude-
rent hoc boni iuuenes ſolent/ hoc recta ſtudia ꝓmeruerũt.
Quis ( per deũ immortalem) nigris Sophiſtis minimũ
honoris ĩpenderit/ quos quocũq3 conceſſerint/ vel Ne-
Sophiſtas ſcabioſus q̃ſpiã ſequitur mo ( noſtri ſimillimus ) vel ſcabioſus et emeritus quiſpiã
coquus comitatur/ digni comitatu viri/ vt enĩ nulli p̱-
ſunt ita nuſq̃3 non peſſime tranctãtur. Proinde conſtat
Vuittenberg: doctores ingenti periculo expoſitos partim
ob Sophiſtas quos ſemp̱ habuere inimiciſſimos/ par-
Fraterculi. tim ob fraterculos quibus nihil tam ſtudio eſt quã ſur-
gentes literas et veritatem opprimere et vtriſq3 vt ſumma
nocendi libido eſt/ attentaſſent forte qđ dicere nolo / idq3
inulti.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

multi. Ingenue igitur Tyrones faciebant non minus
apud exteros ac in hoſtium medio/ quã domi duces ſtu
diorũ comitantes. Vnde eſt tam bone Rubi quod ꝯui-
cieris? vnde tibi tuiſq; canas? qui adeo rudis es/ vt fulpecu
lã fronteſpitiũ monſtra verborũ ſcribas. Sed Eckiũ ſine
omni ſtipatu fuiſſe ait. Hic (fateor) Creticũ non agis/ ſed
Cretenſem/ hoc eſt mendacem. Quis vnq̃; ſtipatior fuit
vno Eckio? que omẽs Sophiſte/ oẽs Monachi/ et oῗ ia
ſimul circumdabant/ tantus accurſus in ſolos Vuitten-
bergñ paratur. Hic conſiliũ dedit/ ille argumenta ( vt vo-
cant) porrexit/ erat qui Patrũ decreta/ et Heretice prauita-
tis inquiſitiones ex ſuo penuario depromeret/ mirũ ſi non
erãt qui cacandi quoq; horã denunciaſſent. Soli Vuit
tenbergñ ſuo viuebant ſucco/ dumq; Eckiũ in arma vo-
caſſent/ cum oĩbus Sophiſtis/ oĩbus Monachis/ cum
ipſa inuidia quod omniũ periculoſiſſimũ eſt/ congredi
oportebat. Huius exemplũ eſt, cum Lutherus ſemel con-
tionatus eſſet et optima de eo ſuſpitio oriretur/ quod lon
ge melius ſaperet quã ab hoſtibus traductus eſſet/ timue
runt Sophiſte ne cum res Vuittenbergenſium apud vul
gum quoque bene audire ceperit / ipſorum machina
ſuccumberet/ et confeſtim Eckium ſubornant/ qui vnus
hanc Vuittenberg: apud populũ exiſtimationem aut op
primere aut leuare poſſit. Eckius facile adductus/ vt pote
glorioſus/ prouinciam ſubit/ contionatur/ nec id felicius
quam diſputare cõſueuit/ adſtant ſui eo quiſq; attentior
q̃ Vuittenbergñ hoſtilior. Hic vocem demiratur/ ille geſtꝰ
vix a mimo ferendos ſuſpicit/ eſt qui affectũ obſeruet/ vt-
q; omnia ſimul proferam/ nihil non laudatũ/ nihil non
diuinũ in toto hoĩe ſtupent/ excurrunt/ quiſq; ad ſuos/
vnũ Eckium cõmendãt/ euehunt/ et Prophetam quendã
non humana ſed diuina admonentẽ p̄dicant/ eũ nimirũ
in finem vt et illa opinio quã vulgus de noſtris accepe-
rat/ ſi non excideret tamen labefactaretur. Sic candorem/
ſic veritatis conceptas igniculos effundunt qui in nullã
partem proſunt. In tanta ergo inuidia preceptores ſuos

Fulpecula frontespitiũ error Rubij.

Rubiꝰ Cretenſis.

Oẽs Sophiſtę oẽs Monachi Eckio aderant.

Vuittẽburg: cũ oĩbus ſophiſtis cõgrediebant.

Inuidia Sophiſtarũ.

Eckius concionatur vt vulgũ auertat.

Eckianã vocem demirãtur Sophiſtę

circumuentos/tyrones ſtipaſſe quam preſtās ſit/ ille ſo-

In diſceſſū Vuittenber:

lum neſcit qui nihil nouit. Atqui diſceſſum eorū quod
ſugillas non eſt mirū cū nec aduentū laudaris. Audiſtin
quemlibet ſuo pallio tegi? et quod cuiq3 integrum eſt at-
tentare? cur eos diſcedere vetas / quos aduentare non iuſ-
ſiſti? crede mihi ſi preter cetera rerū diſpendia licuiſſet nec
vnus aut alter ante negocij exitum diſceſſiſſet. Nec ad-
huc video/ quod inedia coacti coquinarijs illis ſophiſt-
arum portionibus eguerint/ et in has nugas cōparatiōe

Portiōes ſo- phiſt: coquinariæ.

vteris non rectiore quam oui ad rotam eſſe queat/ diſce
miſer homo comparationē inter ſimilia dumtaxat fieri/
et ea magis vulgata/ qualis porro hec comparatio eſſet.

Errat Rubi9 in comparatione.

Rubius non ſecus mentitur/ quam archadicus aſellus:
quamq3 Rubius mentiatur/ aſello tamen is affectus nō
competit. Sed natiuum forte eſt ſophiſtis/ nihil bene/ ni-

Taurina cō- paratio.

hil apte dicere. Veluti is qui in magna hominum frequē-
tia ſed Euangelium expectante / Lipſie contionabatur/
tanto nouos ſcripturarum interpretes veteribus preſtare/
quanto reciſi naſi et denuo reſarciti prioribus ac natiuis
pulchriores eſſent. Quis vel bubulcus ad has pueriles in-
eptias nō rideat. aut cachinnū detineat? ſi/ qui alijs detra-
here ſtudet/ impudentiam iuxta ac ignorantiā ſuam cūc-
tis exponit. Super offitio diſputatorio ſtultius diſſerit

Munus diſ- putatoriū.

quam vt repelli debeat/ hoc que munus eſſe contendit/ ſin-
gula memoriter et ornate vltra citraq3 iactare/ iſtud nimi-
rum ſophiſte hodie ſolum ſciunt/ quibus vnū natura con-
ceſſit/ vt tanta loquacitate omnia compleant/ quanta

Memoriē di- cere apud ſo- phiſtas.

nec centum mulieres qualibet obſtrepere poſſent. Tunc
memoriter dicūt/ quando verba ſua multoties repetunt/
in hūc modum/ vos arguitis primo modo materialiter.
ſecundo modo formaliter. Ego aūt reſpondeo vobis ad
primam partem implicite ad ſecundā vero partem expli-
cite/ hoc eſt memoriter dicere/ hoc deniq3 ornate/ tandē fi-
nita diſputatiōe nihil reſtat niſi vt minus ſciāt quā cum
intrauerint/ et iuſtior a fine denominatio fiet/ ſecundū Ariſ-
totelem quem mihi citas vt omne ſophiſtarum diſputa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reſit tantum ignorare et ſuū non ſemel nomen neſcire,
Deinde falſarium et corruptorem Rubius bene agit de
proteſtatione credo quam Lutherus contra inſultantem
Eckium fecit/ ſic inquit ( Eckium ſcribite me iniuſte et ig-
nominioſe publice hereticum appellare non erubuit Huſ
ſiticeq; prauitatis patronum) quis hic verborum ordo/
quid ignominioſe publice ſimul reddunt? quid erubuit/
tam occioſum verbum? nullum monſtrum eſſe po-
teſt/ tam ſine capite/et omnibus menbris quam hec vna
oratio/ illi ſunt qui inferos ſimul ac ſuperos miſcere vo
lunt/ nec dum puerilia errata leuare didicerunt. Cum-
q; Eckio tuo parcere vis / falſarium agis. Sic enim
proteſtatio habet. Proteſtor enim quod hec mendaci-
ter Eckius de me dicat/ J nunc / et a falſi crimine te
purga / quod tui ſimilibus corruptoribus ex omni parte
donatum eſt. vt etiam Cellarius quidam nuper in Vuit-
tenbergā inuectus omnem vere pudicitiam in vna epiſt-
ola proſtituiſſe videatur/ ſic omnia corrūpit/ reſcindit/et
miſere in ſuos torquet/ haud alienum ab his eſt/ qn̄ ſcribit
Rubi⁹ /Hiero: Auguſt: Ambro: alioſq; patres ab Eckio
citatos. Perinde ac noſtri eos tacuiſſent/ quibus nihil ali
ud in ore fuit. Preterea/ Albertū / Petrū magiſtri et alia id
genus portenta domiciliū ſibi in Eckij mente feciſſe nihil
eſt quod citius pſuaderi poſſum / et ad me quod attinet/
velim ſacellum quoq; ſibi/et perpetuas campanas ibidē
edificaſſent/ cuius editimū te mox conſtitueret/ Ex om-
nibus eſt quod me admodum mouit. Vnde nam bone
Rubi / ſanctam philoſophiam appellas/ fortaſſis ob
feſtum Ariſtotelis / quod Sophiſte celebrant in multo-
rum damna/ vnde tantam ganeam domum referunt vt
diebus aliquot nec coquant/nec fere veſcantur/niſi illam
ſibi autoritatem Sophiſte vendicent/ qua prodigioſam
Auerrois philoſophiam/ et nodoſa fraterculorum ſom-
nia in deorū numerum retulerint / et mirū ſi non diem cō
ſtituerint / qua feſtū ſancte philoſophie per Chriſtianū
orbē celebretur / quā tui vſq; adeo laudāt et exoſculātur/

Diſputari ſophiſt: eſt ignorare.

Rubius falſarius.

Cellari⁹ pudicitiā proſtituit.

Domiciliū mente Eckij.

Sancta philoſophia.

Prādia Ariſto:

Fraterculorū ſomnia.

vt nullũ literarum certamẽ ſint ea fieri contendant. Sed
ſciam quã hodie Sophiſte philoſophiã arbitrantur. Si
logicam (quod propemodũ fieri ſolet) illa apud veteres

Logica hodie paſſim tractatur.

in vſu Rhetorico habebatur/ et longe alia / quam noſtri
profitentur/ quibus id ſolum tractatur (quãuis peſſime)
quod de anilibus ineptijs/ ſuppoſitionibus/ exponibilib⁹
cũ reliquis partibus in ſuam ſententiã expoſitis/ torqueri
poteſt. At ſi hãc cenſent/ que ex gloſſematarijs Eckianis

Philoſophia ex gloſſematarijs.

aut exercitijs tradi conſueuit/ tantũ ille nuge a philoſophia abſunt/ quantũ Sophiſte ab oĩ eruditione. Illam
fortaſſis putant/ que ab Ariſtotele ſcripta paſſim per
ſcholas circũfertur/ ſed nec hãc philoſophiã miſerũ gen⁹

Philoſoph: Ariſto: corrupta circũfertur.

poſſidet/ niſi ex corruptiſſimis/ et olentibus fragmentis
que nihil tam abhorrent quã Ariſto: acumen. Quot igitur ſunt plauſibili titulo elati / qui ſe philoſophie doctores venditãt/ nihilqꝫ p̃ter Petrũ Hiſpanũ/ de reſtrictiõib⁹/
aut exercitiũ veteris artis / nec dũ vtroqꝫ occulo aſpexerũt. Quorſũ attinet rudiſſima illa ſomnia tantope proferre/ et in tertiũ vſqꝫ celum melioribus neglectis extollere/

Satis eſt multos neſcire.

ſatis nimirum eſſet / multos neſcire/ et id turpiter/ modo
alia atqꝫ cultioribus nata ingenia/ non impedirentur. Et
ſi tantũ philoſophia placet cur non Platonẽ ceteris preferimus? qui vt olĩm philoſophie partem abũde abſoluit/

Plato Philoſophorũ Homerus.

ita minime a ſophiſtis intelligi põt. Valeat queſtionaria illa philoſophia noſtris ſeculis in multorũ perniciem
introducta / qua nulli hoĩm mores / nulla vite cõmoditas paratur/ ſed lingua ſolum obſtrepera quadam ſe informi tñ loquacitate/ circũagitur. Quid nam monſtri eſt

Nonagenarij q̃ſtionarij.

nonagenariũ et canũ ſenem quod a pueris cepit in ſepulchrum vſqꝫ diſtinguere/ inter concretũ et abſtructũ/ totũ
et totaliter/ et eatenus ijs nugis repueraſcere vt in nullum
tandem vſum accomoda ſolis portionib⁹ reſeruetur. Et
in hanc partem Caroloſtadius ſe diſputatorẽ negat/ cui

Sophiſte fugiendi.

nihil tam inuiſum eſt quã hoc vnũ Sophiſtarũ genus/
quibuſqꝫ eruditiſſimis nõ ſecus ac peſtis vite fugiendũ.
Audet tamen infelix Rubius aſſerere nullam literariã cõ

tentionē ſine illis ſycophantijs confici bene poſſe / cum
neſciat quid nā ſit diſputare/ cuius inflexus/et tū ingens
ſibi bellū(vt ipſe preco eſt)cū cōdiſcipulis noſtris fuiſſe
ementitur. A quo tam longe abeſt vt vnū ex noſtris pue-
ris alloqui audeat/ quantū oratione ſua/ ab oratione la

Rubius nul lū ſermonē nouit.

tina diſtat. Quid per deum immortalem faceret/qui nec
latina nec greca nec ſuum credo ſermonē quam ex matre
diſcere potuit/noſcit? Congrediatur ergo Rubius cū pue

Rubius ad pueros mit-tendus.

ris/et diſcat ſi leonem vnq̃z in cathedra ſtantem viderint/
ita namq̃z ait(Eckius in ſede ſtans vt leo)diſcat preterea
medularibus non eſſe latinam vocem / diſcat respondeā
non eſſe futurū/quando dicit ( cras adducam et respon-
deam)ſed respondebo dicendū. Taceo ordinem rerum qui
nunq̃z hac facilitate exponi poteſt vt tu lapide durior/oī
aſello rudior percipere queas. Dum enī ordo rerū/ vtpote

Rubius or-dinem orati ōis ignorat.

per hiſtoriam ſeruari debuiſſet/tu quod mediū eſt princi-
pio exponis/et quod ab exordio dicendū/in fine fere reſer-
uas. Et Eckium prius diſputa ſſe/prius in ſede vt leonem
ſteiſſe/ſcribis/quā aduenerit/ O capitis caput/ o homi-
nem rudem/vt in ſolam vmbram natus videri debeat/bo
nos hoīes miſcere vult qui ſeipm̄ ignorat /atq̃z magnis
ampullis ſe intellectum daturū pollicetur / cū nullū ha
beat/fingit enī aliū domi latere/ alterum fulmina cutere/
quid eſt cutere? monſtrū ſophiſtis dignū / forte antiquo

Error Rubij cutere ꝓ cu-dere.

verbo vſus es/ſed tibi non licet/qui ignoranti ignorantia
tua omnia conturbas. Eckius aūt inquit amenū atq̃z
odoriferū campum equitando perluſtrauit / mirū ſi non
etiā puellas. Hec eſt Modeſtia Eckiana qua pluri-
mū gloriantur tui/qn̄ circulatoribus ſtipatus / per pla-
teas obequitabat/procul a Theologo diſtans/ quē ſola
vite integritas/et recta ſimplicitas facit/ſed hoc forte The
ologorū genus tui nō multū ſuſpitiunt/ qui non Chriſt
ianos ſed Ariſtotelicos Theologos habent amātq̃z. Vt-

Theologi Ariſtotelici.

q̃z ſemel finiam/vnus Rubi⁹ eſt quo nihil rudius/ nihil
ſtultius orbis multo tempore ꝓduxit. Totaliter enī tam
receptā vocem arbitratur vt nemo fere eruditus ſit haben-

dus cui hoc monſtrum non vſu veniat/ at ſi cuiq̃ pro li-
bidine ſua liceat quoduis ementiri / poſſim et ego in hũc
modum plura deriuare. Hinc a Rubio Rubialiter vel
Rubialiter vt totaliter. Rubianiliter/ vt is tandem Rubialiter ſapiat qui nihil
ſapit Rubialiter viuat/ qui in nullũ vſum. Huc quoq̃ at
Adulatores tineret feſtiuos adulatores cenſere/ qui tũc cauſe ſophiſta-
rũ ingenue conſuluiſſe putant/ ſi oẽs neruos in Eckij lau
des expoſitos aduerſus Vuittenberg: detorſerint/ quod ego
plus ignominie quã laudis allaturũ non dubito / quid
enĩ ſtultius eo / qui oẽm operam impendit vt ipſe ſolus
laudatus/ ceteri oẽs peſſimi videãtur. Vnde illud/ ꝓpria
laus ſordet. Sic enĩ oẽs illi nebulones Eckiũ ſuũ / et ad-
ornant et tot dotibus onerant/ vt ne celeſtes olim dij Pan
Pandora, dorã illam Heſiodi/ mortalibus in ꝑniciem datã maio-
Rubius. ribus ornamẽtis imbuiſſent. Rubius enĩ totius celi co-
lũnam atq̃ Atlantem futurũ effingit. O infelix celum et
Eckius coeli Atlas. mox ruiturũ/ ſi nec firmioribus colũnis adheſerit/ quam
Cellarius. quas ſophiſtarũ quiſq̃ ſupponat. Taceo/ Cellariũ in-
gens impudentie exemplum/ cui tantum Eckiana oratio
placet/ vt ſatis nec dici nec ſcribi queat/ iã enĩ fulmẽ illud
dicendi/ quod de Pericle fertur/ iã copiã/ tũ geſtus mimi-
cis ſimillimos/ et toti⁹ dictiõis neruos (magne Jupiter)
quã ſuſpicit/ quã adorat / nec mihi vnq̃ verius adagiũ
viſum eſt/ ceu dicitur/ ſimilem habent labra lactucã/ quã
vbi Eckiũ oratorẽ Hortenſium germanũ/ a Cellario ſa-
Hier: Emſer. lutari videbam. Succedit tametſi longo interuallo Hie-
rony: Emſer oĩno monendus quo dies ſuos melius per-
dat. Hoc eſt a iudicijs illis ignauiſſimis abſtineat/ fa-
cit nempe ſuo iudicare/ vt nihil ſcire cognoſcatur/ qñ hũc
Hereticũ/ illum minus eruditũ inſulſiſſime et paſſim tra-
ducit/ et hoc maxime in epiſtola ad Canonicũ quendã
ſcripta/ quã equiore aĩo ferre poſſum/ qđ nondũ in pub-
licũ edita/ inter amicos ſolũ circũfertur/ longe cõſultius
faceret Emſer/ ſi hoc munere doctis et quibus iuditiũ eſt
relicto. Joannẽ ſuũ Theutonicũ diligenti verſaret manu/
ne ſue facultatis imperitus/ in aliena q̃q̃ meſſe deprehẽ-

ſus/derideatur. Et Eckio tū̄ neſcio quē bouem faciat Rubius/ qui mugitu ſuo marias orbis rupes terrere debe at/ qđ tū feliciſſime ceſſerit/ qū̄ tantus Eckio mugitus fuerit/ vt vnū̄ Rubium ab illa ſua temeritate deterreat/ ne ammodo/ quod nec ipſe nec ſui intellexerit/ importuniſſime diuulget/ neue attentet quod nullis viribus aſſequi poteſt/ vt nec deinceps mihi opus ſit/ peſſime horas aliquot collocare/ quibus Rubiana monſtra velut in ſpeculum aliquod tranſponā̄ vt oēs preterimtes videant/ impudētiſſimū̄ eſſe ſe ſuoſq; in riſum cuiq; exponere. Hec bone Rubi breuiter vtcū̄q; potui in errata tua congeſſi que ipſe boni conſulas / meliora daturus quā̄primum per otiū̄ licuerit/ vt que ſimili dilemmate quo tu olim concludā̄. Rubius qui tam impudenter et ſine oī ratione ridiculum ſe omnibus fecit/ aut eſt bos/ aut aſinus / hō̄ enī̄ eſſe non poteſt/ ſi bos cornua habet / ſi vero Aſinus aures ipſum habere nemo ambigit.

Eckñ mugitus in Rubiū

Ad Rubiū conclusio.

Rubius habet aures aſininas.

Τελος

## NEMO AD LECTOREM.

Sat mō̄ lector habes NEMO eſt, qui, tē̄pus ad oē̄
Et ſapit, & nulli diſplicuiſſe poteſt
Qui cupit eſſe aliquid NEMO ſine noīe fiet,
Hoc vnū̄ eſt noſtrę conditionis opus.

## RVBIVS.

Hæc cū̄ bona venia.

## NEMO.

Et cū̄ hoc plus.

NEMO IMPRESSIT.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
6116

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN